



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An & qua ratione Matrimonium contractum contra Interdictum  
Ecclesiæ dirimatur, vel impediatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. III.

*Referuntur, & explicantur varii casus in specie, in quibus propter impotentiam coeundi, matrimonium dissolvitur, vel separatur, aut non separatur.*

**V**ideatur de his, quæ in variis capitulis, tam hoc, quàm sequenti §. & §. 5. examinantur, Auctor Meth. ubi etiam multa referuntur, de probatione hujus impotentia, de triennio experientia, de

juramento utriusque conjugis, & propinquorum, de impotentia, quæ supervenit matrimonio contracto, & nonnunquam dissolvit, quamvis copulatio fiat illicitam, de incisione fetendi, ratione arctitudinis, quæ omnia capitula valde cautè intelligenda, ob gravia iudicia, rectius Auctoribus variè interpretantur, quàm ut in compendium deducantur.

## TITVLVS XVI.

## DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIAE.

## §. I.

*An & qua ratione Matrimonium contractum contra Interdictum Ecclesiae dirimatur, vel impediat.*

**I**nterdicit, seu prohibet Ecclesia nuptias, nonnunquam per Canonem, sive Legem Ecclesiasticam; prout certis temporibus prohibentur fieri non tam matrimonium, quàm nuptiales solemnitates, tempore Adventus v. g. tempore Quadragesimæ &c. nonnunquam interdicit seu prohibet matrimonij contractum Index Ecclesiasticus, qui ob legitimam causam, ne matrimonium contrahatur, prohibet, eò quod priora v. g. sponsalia dissoluta nondum sint, vel

quoddam subesse impedimentum timetur. Tertio nonnunquam Parochus ipse contrahentium tale matrimonium prohibet, eò quod v. g. videatur inter contrahentes aliquod impedimentum esse. Quod contra prohibitionem ab Ecclesiastico Iudice, vel Parocho factam matrimonium contrahatur, validum quidem illud erit, illicitè tamen contrahatur, cum prohibitio talis non sit impedimentum dirimens, sed impediens tantum, & si fiat talium conjugum ad tempus separatio, hæc non fiat, quoad vinculum, sed tantum quoad thorum.

